facta cuncti mortales nouere: Itaque in maxima
fortuna minima licencia est neque studere: neque
odisse sed minime irasci decet. Que apud ali-
os iracundia dicitur: ea in imperio superbia
atque crudelitas appellatur: Equidem sic existi-
mo. P. C. omnes cruciatus minores quam facinora
illorum esse. Sed plerique mortales postrema
meminere. Et in omnibus impiis factis sceleris hominibus
eorum obliti de pena dixerunt si ea paulo seuior
fuit. Decium sillanum uirum fortem atque strenuum
certe scio que dixerit studio r. p. dixisse neque
illum in tanta re gratiam aut inimicitias exercere
eos mores eamque modestiam uiri cognoui: Verum
sententia eius mihi crudelis minime: Quid enim
in tales homines crudele fieri potest. Sed ea
aliena a r. p. nostra uidetur. Nam profecto
aut metus aut iniuria te subegit Sillane
consulem designatum genus pene nouum de-
cernere. De timore superuacaneum est disserere
cum presertim diligencia clarissimi uiri con-
sulis tanta presidia sint in armis. De pe-
na equidem dicere possum id quod res habet
in luctu atque miseriis mortem erumnarum
requiem non cruciatum esse. Eam cuncta

License: CC-BY-NC – Cologny, Fondation Martin Bodmer, Cod. Bodmer 172, f. 115r – Anthologia latina
(http://www.e-codices.ch/en/fmb/cb-0172/115r)